

signifero ecliptico, sicuti in Astrolabio uulgarī commōstrabit. Hoc problema breuiusculum prætermittēre nō fuit consilium, tametsi certo situ instrumenti statarij non egeat, ne circulus annalis frustra insertus uideretur.

## PROBLEMA TERTIVM.

Verum locum Solis absq̃ noticia diei præsentis inuestigare, & simul cœli figurationem exprimere.

**I**N absolute huius problematis, omniumq̃ sequentium id Lunū, & si non aperte præcipiatur, in primis tamē obseruandū est, quōd instrumentum oportune sistatur, quemadmodum paulō ante monuimus. Eo itaq̃ stabilito uerte regionem signorum hac atq̃ illac; itemq̃ cristam uolue seorsum, donec radius Solis utriq̃ foramini auricularum maiorū incidat quā rectissime, nam caput regulæ longitudinis in signifero ecliptico, ostendet locum Solis quæsitum. Voco autem caput regulæ eam extremitatem, quæ aduersus eclipticam cœlestem porrigitur. Huius problematis absolutio etsi non minus breuis quā facilis uideatur, habet tamen speciem quādam fluctuantis incertitudinis propter duos diuersos motus partium instrumenti sibi cohærentium, cristæ uidelicet & regionis signorum. Cui rei præuortere poteris per hanc coniecturam haud quaquam inutilem. Volue regionem signorum unā cum tota crista, donec umbra circuli latitudinis instar lineæ rectæ fiat, quōd quidē euenire solet, dum planicies circuli latitudinis, si in immensum produceretur, per centrum globi Solaris incederet. Tunc itaq̃ radius Solaris per anteriorem auriculam influens, iuxta auriculam posteriorem animaduertendus est. Nam si recte foramen secundæ auriculæ oppleuerit, caput regulæ locum Solis in signifero ecliptico manifestabit. Si uero radius ille supra foramen secundæ auriculæ ceciderit, caput regulæ ad partem signiferi decliuorem transferendum est; & item ut prius transmota regione signorum, considerandum si radius per auriculam anteriorem

immisus